


plenum statutâ, apertoque epistomio CD, viderimus aquam per canaliculum HG ejusque foraminula lateralialia in exhaustum recipiens, instar fontis salientis, sponte quasi sua & cum impetu assurgere haut injucundo spectaculo.

X. Idem verò Phænomenon exhibuit nobis recipiens sphæricum grandius cum voluptate etiam majore ac diuturniore. Paraveramus enim

antehac sphæram vitream grandiore diametri 17. dig. Rhinl. eamque, propter alia experimenta supernè amplo foramine pertusam, cui ad ferrum natus calathus A exactè claudi poterat operculo B, quod alio foramine parvulo in C patebat, suo pariter operculo muniendo. Hujus sphæræ collum antequam calici stanneo DF inderemus cæmento solito firmandum, adaptavimus prominenti intra calicem fistulæ EF canalem alium laxiorem



FG, supernè ad fundum G quatuor fistulis angustioribus instructum, quarum media GH perpendicularis & longior, reliquæ tres breviores GI, GK, GL aliquantum inclinatæ extrorsum erant. His probè firmatis, recipientem calici decenter agglutinatum, antliæque admotum exhaustimus, exhaustum, epistomio clauso, removimus, remotumque aquæ imposuimus, vidimusque, recluso epistomio E, aquam per canalem EFG ad parvulos quatuor superiores H, I, L, K, elatam, inde in cavitationem recipientis vacuum magno impetu

Phæn. V.